DISSERTATIO IVRIDICA

DE

RESERVATIONIBVS MENTALIBVS

QVAM

ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA LIPSIENSI

CONSENSV

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EM...

PRAESIDE

ABRAHAMO KAESTNERO

V. I. D. ET P. P.

IN

AVDITORIO ICTORVM PETRINO

ERVDITORVM EXAMINI

SVBIICIT

CHRISTIANVS GOTHOFREDVS WIEDIVS

LVB. LVSAT.

DIE XIII. IVLII A. R. S. CIƆIƆCCXXXXVI.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

VIRO

ILLVSTRI AC EXCELLENTISSIMO

IOANNI FRIDERICO DE PATOW

DYNASTAE IN MALAENICHEN NEIDECK
SCHADEWITZ ERPITZ RELIQVA

SERENISSIMI AC POTENTISSIMI POLONIARVM
REGIS ET ELECTORIS SAXONIAE

CONSILIARIO IN SVPREMO QVOD IN INFERIORI LVSATIA
EST REGIMINE LONGE MERITISSIMO

SACERDOTI IVSTITIAE VIGILANTISSIMO

PROMOTORI STVDIORVM BENIGNISSIMO

MAECENATI

MAXIMA RELIGIONE DEVENERANDO

HASCE PRIMITIAS ACADEMICAS

MENTIS PIETATE REVERENTIA ET OBSEQVIO DEVINCTAE

DOCVMENTVM

SVMMA ANIMI SVBMISSIONE

OFFERT

TANTI NOMINIS RELIGIOSISSIMVS CVLTOR

CHRISTIANVS GOTHOFREDVS WIEDIVS

LVBENENS. LVSAT. INFER.

DISSERTATIO IVRIDICA
DE
RESERVATIONIBVS MENTALIBVS.

§. I.

Vſum iuramentorum inualuiſſe, cum, hominum excreſcente malitia, ſimplici adſertioni vel negationi non amplius crederetur, bene ſcribit *Pontifex in Cap. 26. X. de iureiur.* *Origo iuramentorum.* Sua ſponte inde fluit, ſi homines in ſtatu innocentiae manſiſſent, iuramentorum etiam nullum vſum fuiſſe; Id quod ab aliis demonſtratum diu. Cum ergo per Chriſtianiſmum iterum reſtauretur in nobis imago diuina, omnis perfidia tollatur, et ad verum amorem erga Deum et proximum reducamur, vtique inter eos qui Chriſtum non tantum nomine, ſed et re ipſa et vita profitentur, ceſſare debebant iuramenta tanquam ſuperflua. Optimum ſane, vtiliſſimum et rationali naturae conuenientiſſimum eſt, omnino a iureiurando abſtinere atque ſic veritati aſſueſcere, vt ſimplex ſermo vim iuramenti *Iuramenta ſedulo euitanda.*

habeat; Ita enim Chriſtianis viuendum, vt veritatem moribus et ſermone omni colant et profiteantur, mendacia procul ab iis abeſſe debent, vt *vnico verbo* tantum fidei praeſtari poſſit quam viginti iuramentis. *Conf. Praeſes de teſtibus iniuratis, §. 13. et 14.*

§. II.

Vſus iuramentorum apud Chriſtianos primaeuos et Ethnicos

Dicto modo inceſſerunt Chriſtiani in primitiua Eccleſia, qui a iuramentis religioſiſſime abſtinuerunt, quibusque inſtar perpetui γνωρίσματος fuit ſermonem vita et factis exprimere. v. *late* CLEM. ALEXANDRINVS *in admon. ad Gent. ſub fin. p. 76.* Imo, quod magis mirandum, inter Ethnicos etiam ab *omni iuramento* quosdam abſtinuiſſe, compertum habemus. Lectu et memoratu dignum eſt exemplum *Scytharum*, qui in oratione *ad* ALEXANDRVM M. hanc inter alia de iuramento profitentur ſententiam, CVRTIO ſic referente, *Lib. VII. tit. 8. Iurando*, dicunt, *gratiam Scythas ſancire, ne credideris, colendo fidem, iurant. Graecorum iſta cautio eſt, qui acta conſignant et Deos inuocant: nos religionem in ipſa fide nouimus. Qui non reuerentur homines, fallunt Deos.* Quod vero inter Ethnicos haec ſententia *de non iurando* frequens et *vulgata* fuerit, teſtis eſt VLPIANVS *in l. 8. de condit. inſtitut. princ.* vbi adſerit: *alios faciles eſſe ad iurandum contemtu religionis, alios perquam timidos metu diuini Numinis vſque ad ſuperſtitionem.*

§. III.

et hodie inter Chriſtianos.

Quo magis vero horum Ethnicorum inſtitutum laudandum, eo magis deplorandum, quod multi ex Chriſtianis viam primitiuae Eccleſiae diu non calcauerint in veritateque ambulauerint, ſed mendaciis, fraudibus, aliisque machinationibus dediti fuerint, ac ita fides apud pleroſque re ipſa defecerit, ſolo nomine et vmbra ſuperſtite; hinc, quia tutum non fuit ſolis hominum aſſertionibus niti, in vſum iterum reuocata ſunt iuramenta, an forte hoc remedio propter expreſſam in-

uocationem

uocationem diuini Nominis in teſtem ad fidem ſeruandam, veritatemque dicendam conſtringi poſſint iuraturi.

§. IV.

Vtimur igitur iureiurando in infinitis negotiis tam iudicialibus, quam extraiudicialibus, permittente etiam ſacro Codice, *v. Ep. ad Hebr. c. VI. 16.* vſus merito toleratur, cum ſaepe agentibus nulla alia ſuperſit probatio; quo caſu remedium litium finiendarum, iusiurandum recte adhibetur. Adprobamus vſum, deteſtamur autem cum piis omnibus abuſum. *v.* BODINVS *de iuramentorum licito vſu et grauiſſimo abuſu. Hal. 1694.* Ad abuſum vero Chriſtianis abominandum referendae etiam ſunt ſic dictae *reſeruationes mentales*, ſeu *reſtrictiones tacitae*, [a]) vti a GROTIO *de I. B. et P. Lib. II. cap. XVI. §. 29.* vocantur. Hae igitur, ex rationibus, quae ſequuntur, a quolibet, qui ſibi conſcientiaeque ſuae bene conſulere cupit, longiſſime abeſſe debent. *Iuramenta ſunt licita. Improbantur reſeruationes mentales.*

§. V.

In omni iuramento I) veritatem, tanquam primum comitem, quod aiunt, adeſſe debere, nemo non confitebitur, finis enim omnis iuramenti, ex parte eius, qui ſibi iurari curat, eſt, vt homines ad enunciandum verum, aut ſeruandum promiſſum firmius adſtringantur, metu diuini Numinis omnipotentis et omniſcii, cuius vindictam, ſi ſcienter fallant per iuramentum, in ſe inuocant, *v.* THOMAS. *in iuriſpr. diuin. Lib. II. c. IX. §. 7. p. m. 225.* Caueat itaque ſibi iuraturus, ne mentiatur aut falſum dicat; [b]) alias enim vim omnem iuramenti *Ratio I.*

a) Hoc loco velim obſerues, reſtrictiones tacitas tam late accipiendas non eſſe, vt etiam tacitas conditiones et limitationes, quae ex ipſa rei natura fluunt, ſimul comprehendant, *v. g. ſi alicui, quicquid velit, petenti optionem iurato conceſſi,* vbi iſte iniqua aut abſurda petierit, haud quicquam tenebor. Ex quo iudicari poterit, de promiſſione ſaltanti *Herodiadis* filiae factae. *Matth. XIV.* conf. PVFENDORFF. *de offic. hom. et ciu. cap. XI. §. 8.*

b) Facile credendum eſt: *Diabolica eſſe omnia mendacia,* ex quibus aliorum

menti inuertit, ſubſtantiam illius tollit, et conſequenter non tam praeſtat iuramentum quam periurium committit. Iuramentum quippe omnes excludit exceptiones et interpretationes tacitas, quia non cum homine tantum, ſed et cum Deo res eſt, cui per iusiurandum obligamur etiamſi homini ius nullum naſci poſſit, ſcribit GROTIVS *c. l. Lib. III. c. 1. §. 19.* Quia igitur veritas in iuraturo deficit, ſequitur quod reſeruationes mentales perperam adhibeantur.

§. VI.

Ratio II. Veriſſimum eſt II) contra naturam iuramenti, eſſe *aliud cogitare, aliud verbis ore proferre,* quia per modo dicta, veritas in omni iuramento exprimenda, non vero ſimulatio, manifeſtatio enim veritatis eſt finis omnis iuramenti. *v.* DOMIN. A SOTO *de I. et I. Lib. VIII. qu. 1. art. 5.* qui ergo alio fine iurabit, certiſſime etiam peierabit. Mendacia itaque longe abeſſe debent ab iurante. Scribit proinde IO. ANDR. **von der Muelen** *in foro conſcientiae, P. I. qu. X. et P. 2. qu. XXVII.* mendacia nullo tempore licita eſſe, non ob patriae defenſionem, non ad vitam ſeruandam, ne quidem propter Dei gloriam. Et licet *in fine fere libr. p. 720. ſeq.* temperare

rum damnum, et famae atque exiſtimationis laeſio reſultat. Hinc etiam grauiſſima poena in mendaces alicubi ſtatuitur. Apud *Indos* poena perpetui ſilentii mendaces mulctantur, ita, vt per totam vitam nihil omnino proloqui ipſis liceat. v. ALEX. AB ALEXANDR. *Lib. VI. genial. dier. c. XI.* ARTAXERXES linguas mentientium triplici clauo affigi curauit. IDEM *ibid. c. XII.* PERSAE ſemel in mendacio deprehenſos, ignominia notatos a magiſtratu mouebant, *teſte* PHILOSTR. *Lib. II.* ad APOLLON. *cap. XII. circa fin.* ALPHONSVS, Hiſpaniae Rex, *anno 1308.* ordini equeſtri *de la Banda* ſeu *faſciae rubrae,* inter alios etiam hunc articulum ſancte obſeruandum, laudabiliter praeſcripſit: Der Ritter rede wenig, aber die Wahrheit; da er eine greiffliche Lügen ſagt, ſoll er zur Straffe ein Monath lang kein Seiten-Gewehr an ſich tragen ꝛc. referente LYMNAEO *Lib. VI. Iur. publ. c. II. n. 4.* De recantatione, ob mendacia prolata in Regno Poloniae, *v. omn.* MARTIN. CROMERVS, Polonicarum rerum ſcriptor accuratiſſimus, *Lib. XI. Hiſt. Polon.* et ex eo DOEPLER. *in Theatr. poen. Lib. I. c. LX. n. 8. p. m. 1086.* et HENEL. *Otio Vratislau. c. XVIII. p. m. 137.*

temperare hunc rigorem videatur, aſſeratque, poſſe ſalutem propriam aut alterius mendacio ſeruari, addit tamen, peccatum nihilominus committi, licet minus; a cuius ſententia recedit *ill. de Leyſ. Vol. I. Spec. LIX. med. 5. 6. p. 650. ſeq.*

§. VII.

Sine dubio III) doloſe agit, qui aliter ore loquitur, aliter corde cogitat, mendacium enim profert, alterum hoc modo decipiendo, mendacium autem ſine dolo eſſe nequit, *v. L. 9. §. 1. et L. 37. ff. de dolo mal.* SERAPH. DE SERAPH. *de priuil. iurament. p. m. 140.* Cum vero dolus ab omni negotio procul abeſſe debeat, ſitque delicti ſpecies, nemo inficias ire poterit, grauiter eum peccare, qui deſtinato animo alterum doloſe iureiurando fallit hocque modo periurii reum ſe profitetur. *Ratio III.*

§. VIII.

Denique IV) iuris tralatitii eſt, vt verba non ſecundum intentionem et conceptum iurantis accipiantur, ſic enim conceptum pro lubitu ſibi formare, hocque pacto ſemper alterum eludere poſſet iurans; ſed praeſtandum venit iuramentum iuxta mentem et intentionem illius, cui iuratur, quam ob rem omnis ambiguitas omnisque amphibologia ſerio vitanda. Non enim nobis loquimur et iuramus, ſed illi cum quo nobis in iudicio res eſt, loquimur atque iuramus, vt eo melius alteri de integritate noſtra conſtet. *v.* THOMAS. *Iuriſprud. diuin. Lib. II. c. 9. §. 70. ſeq. p. m. 267.* hinc ſequitur iuramenta nullatenus eſſe interpretanda ſecundum ſententiam iurantis, ſed ex ſententia et opinione eius, qui exigit. *v. c. XIII. veniens, de iureiur. et cap. X. literis, de ſponſal.* WESENB. *P. III. conſ. 112. n. 2.* Notatu digna in hanc rem ſunt verba ISIDORI, dum ſcribit: *Quacunque arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conſcientiae teſtis eſt, ita haec verba accipit, ſicut ille, cui iuratur intelligit, v. c. 9. XXII. qu. 5.* Idem ſtatuit AVGVSTINVS *in Epiſt. 224. n. 871.* in verbis: *Illud* *Ratio IV.*

ſane rectiſſime dici, non ambigo, non ſecundum mentem iurantis, ſed ſecundum expectationem illius, cui iuratur, quam nouit ille, qui iurat, fidem iurationis impleri. Decipit itaque aduerſarium, falſam animi ſententiam ipſi exponendo, ſicque a periurio immunis eſſe nequit. Pertinet huc formula veterum in iureiurando adhiberi ſolita:

Si ego te ſciens fallam, ita me eiiciat Diespiter,
Bonis ſalua vrbe et arce, vt ego hunc lapidem.

Silicem enim lapidem manu tenens imprecabatur, quem poſtea qua poterat vi proiiciebat: Vt eſt apud PLAVTVM, CICERONEM, LIVIVM, et alios paſſim. [c]) Aliter igitur quam ſecundum mentem exigentis iurans, certiſſimum committit periurium, quod eſt monſtroſum plane peccatum, quippe quo periurus teſtatur, ſe contemnere Deum, metuere homines, et oſtendit ſeſe audacem aduerſus Deum, timidum erga homines. *v.* CHARRON *de la Sageſſe, Lib. III. c. 10. n. 7.* item, *Les provinciales lettres de Montalte*, Cologne 1657. *conf.* LOUIS THOMASSIN Traité, *de la verité et du Menſonge*, *des juremens et des parjures. Lib. I. c. 13. et 14. et Lib. II. c. 15.* Factum proinde eius, qui cum *30. dierum* inducias cum hoſte pepigiſſet, *noctu populabatur agros*, admodum improbat CICERO, *de offic. Lib. I. c. X.* integris libris id etiam improbant IOH. MARTONVS et

HENR.

c) Hac aliisque formulis iurarunt veteres, *teſtibus* POLYBIO et FESTO. ETHNICI iurarunt *Pol, aedepol, mecaſtor, mehercle.* IVDAEI iurabant *apud coelum, terram, Ieruſalem, apud caput ſuum.* GRAECI veteres *apud terram, fluuios, fontes, ſceptrum regium, coelum ac Solem.* AEGYPTII iurabant *per allium et cepe.* SOCRATES *per canem, anſerem et Platanum* iuraſſe, dicitur apud PLATONEM, non quod ea Deos putaret, ſed ne *per* Deum iurare cogeretur. v. PETR. GREG. *Synt. Iur. vniu. Lib. I. c. XIII. n. 21.* cuique genti ſua in iureiurando religio ac formula eſt, et *diuus* PIVS iureiurando, quod propria ſuperſtitione iuratum eſt, ſtandum reſcripſit, *in l. 5. §. 1. de iureiur.* De variis formulis in iure noſtro, *v. l. 3. §. vlt. l. 4. l. 5. l. 13. §. vlt. c. l.* Nullibi vero, apud citatos auctores aliter, quam iuxta mentem deferentis iurari, inuenitur.

HENR. MALONVS apud *Sanders*, *p. 128.* et *181.* conf. GROT. de *I. B. et P. Lib. II. c. XIII. §. 3.*

§. IX.

Moraliſtae autem haud pauci reſeruationes mentales pro re licita agnoſcunt, communiter adſerentes, quod qui aliter iurauit, non teneatur praeciſe ex vi iurisiurandi, niſi iuxta ſuum ſenſum. Et pro defendenda hac opinione dicunt *Quidam reſeruationes licitas putant.*
1) Iusiurandum vi ſua ſolum obligare ad id, quod per ipſum eſt confirmatum et adſertum: quonian ad hoc tantum is qui iurat, Deum teſtem adduxit; ſed ſolum id aſſertum eſt, quod iurans in mente habuit, ergo ſolum ad illud praeſtandum obſtringit. *horum ratio 1.)* 2) Quia iuramentum ſequitur naturam promisſionis, cui accedit; atqui promiſſio non obligat vltra intentionem iurantis ſeu promittentis, ergo nec iuramentum. *2.)*
3) Quia humanae aures talia verba noſtra iudicant, qualia foris ſonant; Diuina vero iudicia talia foris audiunt, qualia ex intimis proferuntur: Apud homines enim *cor ex verbis:* apud Deum vero, *verba ex corde* iudicantur. Ergo (*concludunt*) cum ex intimis alio ſenſu proferantur, Deus etiam ſic accipit, et ita confirmare cenſetur. *v.* LESSIVS, et quos citat, *de I. et I. Lib. II. cap. XLII. dubit. IX. n. 44. p m. 515.* *3.)*
Addunt alii 4) quod quilibet verborum ſuorum ſit optimus interpres, *per l. 21. C. mand.* 5) quia ex oratione verbali et mentali iurantis vna oratio compoſita, in qua tota, *coniunctim* accepta, nulla eſt falſitas. Prouocant 6) *ad l. 6. §. 1.* de *acq. vel. omitt. hered.* vbi qui *fallens* adiit hereditatem non dicitur adiiſſe et denique 7) ad exempla apud GROT. de *I. B. et P. Lib. II. c. XIII. §. 5.* *v.* COCCEI. *I. C. Lib. XII. Tit. II. qu. IV. p. m. 616.* vbi ad ſingulas has rationes reſpondet. [d]) *4.) 5.) 6.) 7.)*

 §. X.

d) Reſeruationibus autem iuxta Moraliſtas, vti non debet, ſi ſponte ſua quis ſe offerat ad iurandum, quoniam nulla ſubeſt cauſſa legitima vtendi illa calliditate. v. LESSIVS, c. l. cum aliis, quos adducit.

§. X.

Exempla reſeruationum mentalium.

Si exempla eiusmodi reſeruationum deſideras, ſufficiant haec: 1) *Sacerdotem* ſi a magiſtratu haeretico rogetur, *an ſit ſacerdos*? reſpondere poſſe: ſe non eſſe ſacerdotem; *nempe* Bacchi *aut* Apollinis. 2) *Vxorem adulteram*, ſi a marito zelotypo de adulterio poſtuletur, iurare poſſe, ſe adulterium non commiſiſſe, *nempe vt ipſe dicat*. 3) In promiſſorio iuramento, poſſe viatorem ob vitam redimendam iurare, latroni ſe certam pecuniae ſummam daturum, cum tamen in animo habeat, nullam ei dare; dummodo ſic intelligat: *Dabo ſi debeam*, vel *dabo ſi apud magiſtratum petieris*. Quos caſus adducit SANDERSON. *de iuramenti promiſſorii obligatione, praelect. VI. Sect. V. p. m. 182.* Sic *Mediolanenſes*, periurii inſimulati, reſpondebant: *ſe quidem iuraſſe, ſed non promiſiſſe, quod iuramentum ſeruare velint*. De ſartore quodam refertur, quod furti inſimulatus, ſemper iurato reſponderit: **Daß er nicht ſo viel behalten, als er in ſeinem Auge leiden konte.** Intellexerat vero capſulam, in qua figuram oculi pictam habebat. *v.* KLEIN. *in not ad* SCHOEPFER. *tit. de iureiur.* verb. *reſeruationes mentales. p. m.* 247.

§. XI.

Saepe in foro circa reſeruationes mentales querelae occurrunt, nunc enim partes litigantes his vtuntur ſpontaneo motu, nunc a *rabulis forenſibus* (de conſcientioſo enim iuſtitiae ſacerdote, hoc non praeſumendum) clientibus ſuis ſuppeditantur. Caſum refero, qui Praeſidi aliquando contigit: Inſtituebat actor depoſiti actionem hacque vtebatur formula: **Er habe Bekl. 500. Thl. in der Oſter-Meſſe aufzuheben gegeben**, ſuper quibus verbis iuramentum reo deferebat. Praeſes a rei partibus ſtans, factum hoc adfirmabat obiectis falſem quibusdam exceptionibus, occaſione quarum lis etiam amicabiliter componebatur. Lite ſic finita, actoris aduocatus cachinnum mouebat, Praeſidi obiiciendo, minus recte a ſe

Caſus practicus de reſeruatione mentali.

patroci-

patrocinium eſſe praeſtitum, quia non adegiſſet clientem ad iurandum, depoſitum enim factum non fuiſſe, in der Meſſe, per quae verba ſaltim intelligenda eſſet prima nundinarum ſeptimana, ſed in ſecunda ſeptimana, in der Zahlwoche, quae ad nundinas non pertineret, ſicque clientem eius ſub hac reſeruatione illaeſa conſcientia iurare potuiſſe. In qua ſententia ſimilique praxi ad terminum peremtorium ſuum vſque manſit mortuusque eſt miſer. [e])

§. XII.

Zoeſii ſententia de his reſeruationibus.

Pro defendenda hac ſententia deprehendo etiam ZOESIVM *ad π. tit. de iureiur. n. 99.* hunc in modum ſcribentem, *dolo*, inquit, *et fraude vtentem in iureiurando et verba alio ſenſu, quam prae ſe ferunt, et quam accipiuntur ab eo, cui iuratur, accipientem, ſuamque intentionem accommodantem, ad ſenſum a ſe intentum, non obligari ex vi iuramenti directe ad implendum iuramentum, iuxta ſententiam* cui iuratur: *ſed proprium tantum.*

§. XIII.

refutantur.

Nullo autem modo huic opinioni calculum dari poſſe, perſuaſum mihi habeo quam certiſſime. Quamuis enim in *c. 11. humanae, XXII. qu. 5.* ad quem locum ZOESIVS prouocat, dicatur: *quod ſecundum intentionem iurantis a Deo*

 iudicetur;

e) Addam caſui recenſito alium: In puncto furti iuramentum purgatorium inquiſito iniunctum erat, et quidem hiſce formalibus: Daß Inquiſit, daß er den in N. Schreibe-Stube ſtehenden Schranck nicht erbrochen, und aus ſolchen 12 Stück Ducaten dieblicher Weiſe nicht entwendet, vermittelſt Eydes, wobey auch ein Geiſtlicher zu gebrauchen, ſich zu reinigen ſchuldig. Inquiſitus furtum committendo clauem adulterinam adhibuerat, ducatosque ex capſula quadam (einem kleinen Käſtgen) ſurripuerat; Hinc defenſor improbiſſimus ipſi hanc ſuppeditauerat *reſeruationem mentalem*, vi cuius illaeſa conſcientia iurare poſſet: (Weil er den Schranck nicht erbrochen (ſed claue adulterina aperuiſſet) und weil er die Ducaten nicht aus dem Schrancke) ſed e capſula quadam entwendet. Fraus vero haec per miniſtrum verbi diuini detecta, ſicque anima inquiſiti ſaluata fuit, quam praeſumtiue nequiſſimus defenſor perdiderat.

iudicetur; Certum tamen et hoc eſt, quod, ſicut omniſcio Numini cor iudicantis ſub reſeruatione mentali cognitum eſt, ita ipſi Numini iuſtiſſimo occultatio vel immutatio veritatis, cum deceptione proximi coniuncta, nunquam placere poſſit; Quin potius omne falſiloquium et mendacium odio perſequitur, et ipſe quoque Deus ita accipit verba iurantis, vt ea intelligit deferens vel exigens iuramentum, vti dicitur in *c. 9. XXII. qu. 5.*

§. XIV.

et recte improbantur reſeruationes.

Veriſſimum igitur eſt quod reſeruatio mentalis omnem inter homines fidem et certitudinem tollat; Deum impoſtorem faciat, eos quibuscum agitur decipiat, iurisiurandi finem et vſum peruertat, omneque genus mendaciis et periuriis latam feneſtram aperiat. Et quanta abſurda ex aequiuocationibus et reſeruationibus mentalibus conſequantur, ex RIVETO adducit BECMANN. *ad Grot. de I. B. et P. Lib. III. c. 1. §. 17. p. m. 1035.* fruſtra *ſcil.* hoc caſu leges ferri contra mendacium et periurium, ſic enim etiam diabolum, patrem mendacii, excuſare ſe poſſe: Martyres omnes imprudenter egiſſe, qui his artibus cum mortem effugere potuiſſent, non vſi fuerint: Iudices pro tribunalibus teſtimoniis fidere non poſſe: in contractibus ſiue publicis ſiue priuatis nil haberi certum. Hinc, *hac vice*, verbis STRYKII *de cautelis iuramentorum, P. III. Sect. III. cap. 1. num. 27. p. m. 355.* finem impono: Impia, *ſcribit*, et ſceleſta haec cautela, quam *ex reſeruatione aliqua mentali* iuraturus ſibi imaginari, atque per hanc periurii poenam euadere ſe poſſe putat, cum nequidem ſecundum praecepta iuris naturae in ſocietate toleranda ſit, hinc ab orbe Chriſtiano et omnibus iudiciis merito ad gehennam damnatur et reiicitur. *Conf.* IDEM *in Tract. de iur. ſenſuum* differt. *X. cap. III. n. 26. ſeqq. p. m. 566.*

AD-

ADDENDA.

I. Lenones olim ab innocentibus mulierculis fideiuſſores, et vbi hoc ipſis amplius non erat permiſſum, *iusiurandum* exigebant: *de perſeuerando in vita impudica ac nunquam reuertendo ad bonam frugem et honeſtam conuerſationem v. Nou. XIV. et Nou. LI* hunc morem autem plane nefandum ac vere diabolicum rectiſſime penitus abrogauit Imperator IVSTINIANVS, taleque iuramentum pro *turpi*, *abſurdo*, et *in exitium perducente*, declarans. Hinc conceptis verbis, d. N. LI. in fine ſcribit: *Ideoque liceat mulieri, licet huiusmodi iusiurandum iurauerit, recedere a iurandi huius amaritudine, et caſte viuere ſine periculo periurii.* Concordat cum hac diſpoſitione ius canonicum *in c LVIII de R.I. in 6.* vi cuius iuramentum contra bonos mores praeſtitum obligatorium non eſt. *conf.* RITTERSH. *ad Nov. LI. p. m. 684. ſeq.*

II. An viles et turpes perſonae iuramentum in iudicio deferre poſſint? diſſentiunt multi. Nobis adfirmatiua verior videtur, *a. l. 11. §. de act. rer amot. O. Cr. art. CVII.* Hinc et puella deflorata, quin et ipſa meretrix, ſi ad conſummandum matrimonium agat, aduerſario ſtupratori, *tam* ſuper ſtupro, *quam* ſuper promiſſione matrimonii, iuramentum deferre poterunt, teſte STRYCKIO *de Caut. iuram. P. II. Sect. I. c. III. n. 246. p. m. 126.*

III. Quaeritur: Quid faciendum cum homine ſcrupuloſo, qui praeſcriptas et conſuetas iuramentorum ſolennitates (v. HENEL. *Otium Vratislau. cap. XV.*) admittere non vult? an nimirum mulcta, carcere, vel alio modo adigendus? Sunt, qui hoc affirmant: Nobis vero arridet negatiua: Ne in conſcientias ſibi Princeps imperium arroget. Vt vt enim erronea ſit illa conſcientia, quamdiu tamen talis error animo inhaeret, non eſt contra faciendum: nam et, qui contra erroneam facit, peccat; quicquid enim non eſt ex fide, peccatum eſt. ROM. *XIV. 23.* Tollendus itaque eſt error argumentis et virtute ſpiritus, non vero cogendus errans contra conſcientiam. Neque eſt, vt quis eos pro pertinacibus habeat, ſi forte conuinci argumentis non poſſint: Nam pertinacia in animo conſiſtit, de qua ſolus Deus iudicium ferre poteſt.

IIII. A iuramentis extraiudicialibus in negotiis priuatis penitus abſtinendum, licet alter ſine iuramento fidem nobis habere nolit.

nolit. Haec enim per Saluatorem apud *Matth. V. 33. ſeq* ſunt. prohibita. Cum quo concordat ius canoninicum in *c. 26. X. de iurei.* vbi *ad iuramentum non debet quenquam ſpontanea voluntas inducere, ſed neceſſitas trahere importuna.* Et huc pertinere credimus dictum AVGVSTINI *de Serm. Dom. Lib. I. c. XVI.* neminem, *docendo*, appetere debere iuramentum inſtar alicuius boni, ne nimium iurando in periurium incidat.

V. Piis omnibus ſedulo cauendum, ne nimis credant vulgato prouerbio: Schwöꝛen iſt ſo gut als Beten: Hoc enim multae teguntur iniquitates.

VI. Quaeritur: Si ſciamus eum, cui delatum eſt iusiurandum, periurium committere, an illaeſa noſtra conſcientia tale iuramentum exigi queat? Aiunt multi, ſtatuentes, quod ſibi iuraturus imputare debeat, ſi animam perdere velit. Nobis vero placet AVGVSTINI ſententia, in c. 5. XXII. qu. 5. relata: Ille, inquit, qui hominem prouocat ad iurationem, et ſcit, eum falſum iuraturum, vincit homicidam; quia homicida corpus occiſurus eſt, ille animam, imo duas animas, et eius quem iurare prouocauit, et ſuam. Conf. BALDVIN. *de caſ. conſcient. Lib. II. c. IX. n. 6. Menoch. de arbitr. iud. quæſt. caſ. 102.*

VII. Scribit SETSERVS *de iuramentis Lib. I. c. XXV. n. 5.* Omne iuramentum obligat, vt quod promiſit, praeſtare teneatur: *Cum Deo enim iusiurandum contractum eſt*, qui *votum* omnino reddi debet. Confundit hoc loco SETSERVS et multi, quos citat, IVRAMENTVM cum VOTO: Facit idem GROTIVS *de I. B. et P. Lib. II. c. XIII. ʃ. 15.* Erroneam vero eſſe hypotheſin, *quod iuramentum vim voti habeat*, iam diu ab aliis oſtenſum; ſolide etiam hanc refutauit PVFEND. *de I. N. et G. Lib. IV. c. II. §. 3. Enim vero*, inquit, *alia videtur natura* iurisiurandi, *cuius verba non ad hominem, ſed ad Deum diriguntur*, v. g. ſi dicam, *ſolus aut coram arbitris:* ego DEO iuro, quod Seio velim dare. Id enim habet indolem voti, quod Deo promitto, quod in ipſius honorem ſim aliquid praeſtiturus, adeoque ex eo non homini, ſed Deo ius volui conferre. *Secus autem ſe habent* iuramenta, *quae ad hominem diriguntur*, ſeu *vbi Deo teſte homini quid promitto*, qualia ſunt omnia iuramenta in ſignificatu communi accepta. Nos PVFENDORFII ſententiæ calculum addere, nulli dubitamus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA